



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. III. De Libelli oblatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

tivam procedi potest, *c. De manifesta*; 17. *caus. 2. q. 1.* ubi dicitur, manifesta accusatione non indigent, & *c. Bonæ*; 23. ibi: *Excessus notorius examinatione non indiget; de elect.* Veruntamen ad cautelam, maiorémque securitatem potest Judex etiam in causa notoria reum citare, & reliquum juris ordinem observare; ita tamen, ut, si in eo error, seu defectus aliquis interveniat, non ideo totus processus, ipsaque sententia definitiva corruat; quandoquidem juris ordo, non ex necessitate, sed ex abundante observatus fuerit, *Abb. in cit. c. Bonæ*; n. 8. quod Felin. in *c. Cum non ab homine*; 10. n. 11. *de judic.* limitat; si feratur sententia declaratoria super notorio facto, non requiritur citatio: secus, si feratur sententia condemnatoria. Tertio. Si reus dolose latitet, non est necessaria citatio. Quarto. Si reus sit suspectus de fuga, vel aliàs sit periculum in mora. Quinto. Si, etsi præsens esset, non tamen posset actum impedire, vel contradicere, *Arg. l. Qui potest*; 26. ff. *de R. I.* Sexto, quando aliquem non principaliter, sed secundariò tantùm, & in consequentiam negotiorum, seu causa tangit, is non est necessariò citandus. Sic, quando sententia fertur contra principalem debitorem, tunc fidejussor de iudicato solvendo datus, non debet necessariò citari, cum de eius præjudicio solum in consequentiam, non per se, ac principaliter agatur, *Marant. c. l. num. 32.*

Septimò. In causa criminali, si pro reo absente pronuncietur, sive sententia feratur, non requiritur, ut citetur: secus, si contra illum, sive sententia condemnatoria feratur. Octavò. In omnibus causis, in quibus proceditur, sine figura Judicii, sive de plano, & non servatis juris solemnitatibus, valet sententia lata pro reo absente non citato. *Marant. c. l. n. 17.* Plures casus, in quibus citatio non requiritur necessariò, referunt *Marant. c. l. à n. 5. usque ad 39. Mysing. cent. 2. n. 91. & cent. 6. obs. 6. & fuisse Gabriel in concl. commun. lib. 2. concl. 1. n. 302. & seqq.*

CCXXVIII. Assertio 3. Finis citationis, respectu actoris, est, ut reus ad instantiam ipsius compareat: respectu rei, ut interim ad defensionem se parare possit, *Hiltrop. cit. p. 2. tit. 1. §. De fine, & effect. citat. n. 1. & 2.*

Effectus verò citationis varij sunt. Nam primò. Citatio legitime facta obligat citatum ad comparandum, nisi justâ causâ excusetur: aliàs verò, si

cessante legitimâ causâ, & justâ exceptione, citatus non compareat: punitur ut contumax, de quo infra tit. 14.

Secundò. Citatio inducit præventionem, quando plures concurrentem jurisdictionem habent in solidum, respectu illius causæ, cuius intuitu citatio semel legitime facta est, ita, ut citatus, si citatio ad eum pervenit, coràm Judice præveniente comparere debeat, etiamsi postea alienæ jurisdictionis esse ceperit, *c. pen. h. t. l. Si quis, posteaquam*; 7. ff. *de Iudicij*; *Marant. dis. 6. n. 20. Gail l. 1. obs. 27. n. 4. §. 6. & obs. 74. n. 18.* quamvis citatio non tollat exceptionem declinatoriam competentem, ante præventionem, *l. Si quis ex aliena*; 5. ff. *de Iudic. l. 2. ff. Si quis in jus vocat. non ser. V. Vesenbec. in parat. ff. De in jus vocand. n. 13. col. pen.*

Tertio. Citatio perpetuat jurisdictionem Judicis delegati, postquam ab ipso emanavit, etiamsi nondum ad noticiam citati pervenerit, ita, ut morte delegantis non exiret jurisdictione delegati, *c. Gratum*; 20. *de offic. Iud. deleg. Gail cit. obs. 74. n. 19. Mysing. cent. 4. obs. 26. n. 3.* Ratio est, quia citatio habet vim præcepti, quod, quatenus à Superiore, seu Judice procedit, effectum consecutum censetur, & quantum est ex se, vim obligandi habet, quamvis per accidens, propter ignorantiam, non obliget, nisi alteri intimetur.

Quartò. Inducit citatio vitium litigiosi, ita, ut rei litigiosæ, sive de qua est controversia, alienatio sit prohibita; & litis pendentiam, ad eum effectum, ut lite pendente nihil possit innovari, *Auth. Litigiosa. C. de litigios. & Clement. 2. junct. Gl. V. Ad hoc*; *Ut lite pendente & c. dummodo citatio rite decreta, & executioni mandata sit, atque ad citatum pervenerit, aut per eum stererit, quò minùs perveniret, & in super causa in ea expressa sit, ob quam in iudicium vocetur; ut habetur in cit. Clem. Gail cit. obs. 74. num. 16. & 17. Marant. p. 6. tit. de citat. n. 70. Mysing. cent. 2. obs. 26.*

Quintò. Interrumpit citatio odiosam præscriptionem longissimi temporis 30. vel 40. annorum, *Gl. in l. Sicut*; 3. *V. Executorem*; & in *l. Cum notissimi*; 7. *V. Solum conventionem*; *C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Ad quod sufficit unica, & simplex citatio, non peremptoria, dummodo sit valida, & legitima, *Gail cit. loc. n. 20. & 21. Mysing. cit. loc. n. 5.* quod tamen infra tit. 26. hoc libro ex instituto examinabitur.

TITULVS III.

DE LIBELLI OBLATIONE.

Si reus legitime citatus in Iudicio per se, vel per procuratorem compareat, nec de Iudicis, ad quem vocatus est, incompetentia excipiat, ejusque jurisdictionem declinet, actor libellum actionis offert Iudici, vel antè oblatum reproducit; ejusdemque exemplum, sive copia reo traditur (nisi priùs, unà cum citatione, fuerit transmissum) ut is sciat, quid ab eo petatur, & deliberare possit, utrum liti cedere, an contendere velit; & super quo exceptiones, ac defensiones suas formare, & fundare debeat. Quare post Titulos de Iudiciis, & foro competente, subjicitur iste de Libelli oblatione.

§. I. Quid

§. I.

Quid, & quotuplex sit Libellus, & an necessario, cuius offerendus sit?

I.

ASSERTIO I. Libellus, prout hoc loco accipitur, est editio actionis futurae litis speciem continens; uti sumitur ex l. 3. C. de edend. Clarius sic definitur ex Cyno in Auth. Offeratur. C. de litis contestat. apud Abbat. in Rubr. h. r. & Schneidev. in §. Omnium Insti- tur. de action. n. 98. Libellus est scriptura brevis, clara, & ordinata, continens, ac demonstrans Iudici, & parti intentionem actoris, vel accusatoris.

Pro declaratione hujus definitionis Notandum Primò, Libellus in scriptis offerri debet. Auth. Offeratur; junct. Gl. V. Ad Iudicium. C. de lit. contest. Idque constat etiam ex c. I. h. r. quod est desumptum ex Concilio, seu Synodo habita apud S. Medardum in Urbe Sueslionensi; ubi decernitur, quòd Judex non debeat actorem admittere ad litigandum, nisi prius offerat Libellum in scriptis. Nam, cum quidam Clerici, vel Monachi ad Synodum illam querelam deferrent contra aliquos, Ignarus Episcopus dixit, eam secundum SS. Canones recipi non posse, nisi Libellus reclamationis (seu postulationis, in quo postulatio, sive petitio, quam quis contra aliquem proponit, continetur. Gl. hic V. Libellum reclamationis, & Hostiens.) ab eis porrigatur. quod cum illi assent, Libellum petitionis scripserunt, & synodo porrexerunt. Ratio est, quia omnia acta Iudicii in scripta sunt redigenda per Notarios, vel duos viros idoneos, ne fraus circa illa possit committi. c. Quoniam; 11. de probat. ideoque etiam libellus in scriptis est dandus, & actis causae inferendus, An autem necessarium, ac semper libellus in scriptis offerri debeat, paulò post dicetur. Addunt aliqui, quòd libellus etiam debeat esse subscriptus manu propria Actoris offerentis illum; ut aperte colligi videtur ex cit. c. I. ibi: Eanque vestris manibus roboratam synodo porrigere; quod tamen Hostiens. hic V. Roboratam; ait, requiri non de necessitate, sed solum de honestate: vel saltè non requiritur hæc subscriptio in causa civili, bene vitem in criminali; ut docet Abb. in cit. c. 1. n. 6.

II. Notandum secundò, Libellus debet esse brevis, quia necessaria tantum, aut utilia continere debet, quæ, si probata fuerint, facient ad intentionem Actoris contra adversarium, rejectis superfluis. Ampliorem; 39. §. in refutatoriis. C. de appellat. Debet etiam libellus esse perspicuus, & clarus; quia si offeratur obscurus, ratione æquivocationis, nimis generalitatis, vel alternativæ petitionis, vel quia conditionalis, ita, ut determinatè non appareat, quid petatur, rejici potest. l. Prætor; 7. §. Quoad autem. ff. de iur. iur. nam alternativæ propositio obscuritatem, & incertitudinem adfert. Gail l. 1. obs. 62. n. 1. & 2.

Sunt tamen plures casus, in quibus propter incertitudinem, aut probabile dubium, libellus alternativus admittitur, quos enumerat Gail cit. loc. n. 4. & seq. Mysing. cent. 2. obs. 42. & cent. 4. obs. 11. Tomus I I.

Veluti primò. Si incertitudo proveniat ex facto alieno. Et hinc valet ejusmodi libellus: Peto rem jure domini, vel quasi domini; vel: Peto, me declarari Dominum, aut quasi Dominum: quia utraque actio, rei vindicatio, & actio Publiciana non sunt contrariæ, sed ad eundem finem tendunt, nempe ad rem vendicandam. Secundò. Sustinetur libellus alternativus, quando petitur res restitui, si existat, aut ejus æstimatio, si consumpta sit, quando scilicet incertum est, an res extet, necne: alioquin, si certum sit, rem extare, ea peti debet, non ejus æstimatio, quia hæc solum in subsidium debetur. l. fin. C. de fideicom. libert. Tertio. Quando petitur restitutio adversus contractum, testamentum, vel sententiam: quia tunc potest Actor alternativè petere, ut declaretur nullus, vel, si quo modo valeat, rescindatur, aut ipse adversus eum in integrum restituitur. Item valet talis libellus: Dico, sententiã latam nullam esse, vel: Si mero jure valet, contra eam appello. Quarto. Sustinetur libellus alternativus in actione hypothecaria, ut si Actor dicat: Peto illum condemnari ad tradendam rem oppignoratam, vel ad solvendum debitum. l. Si fundus; 16. §. in vindicatione. ff. de pignor. nam in actione hypothecaria possessor potest rem retinere, & offerre creditori æstimationem litis. l. 2. ff. Quibus mod. pign. vel hypothec. solvend. Quintò. Quando agitur ex l. 2. C. de rescind. vend. necessariò actor in libello alternativè concludere debet, ut emptor vel suppleat, quod deest justo pretio, vel rem emptam restituat. c. Dilecti; 3. de empr. Gail cit. loc. Similiter, quamvis libellus generalis, quippe incertus, non admittatur, nec valeat; in petitione tamen fructuum, expensarum, damnorum, aut interesse, valet libellus incertus: quia hæc ordinariè non sunt determinata, neque explorata, donec super ijs cognoscatur. Borellus in summ. decis. tit. 49. n. 65. & 75. Secundò. In civilibus, parte non opponente. idem c. l. n. 67. Tertio. In petitione hereditatis, idem n. 72. Quarto. Si libelli incertitudo causetur ex parte rei, idem n. 69. quia tunc sibi id imputare debet reus.

Notandum tertio. Libellus debet etiam esse ordinatus, in quo construendo hic ordo servandus est ut tria contineat. Primò narrationem facti. Secundò medium concludendi, sive justam causam petendi, quæ ex narratione eliciatur, ac denique ipsam petitionem, quæ velut conclusio libelli ex medio, seu causa petendi sequatur; ut ex dicendis §. seq. magis constabit.

III. Notandum quartò, Libellus primò, & principaliter offerendus est Iudici; ut colligitur ex cit. c. I. ibi. Synodo porrigere; ut eo inspecto, sciat Judex, quid petatur, sive ad quid, & ex qua causa officium suum impertiri debeat: nam Judex debet proferre sententiam juxta Iudicii formam. c. Licet; 3. l. junct. Gl. V. Iudicii form. de simon. hanc autem ordinare debet (in civilibus causis, de quibus hic loquimur, non de criminalibus) juxta Actoris petitionem, & formam libelli, cui proinde etiam ipsa sententia conformis esse debet. Arg. l. Ut fundus; 18. ff. comm. divid. Deinde à Iudice libelli copia datur parti, id est, adversario, sive reo, ut is inde sciat, ob quam causam in Iudicium citatus sit, & cognita actione, quæ convenitur, deliberare possit, utrum liti cedere, an contendere velit, & si contendendum putet, veniat ad

defendendum instructus. l. 1. junct. Gl. V. ad agendum. ff. de edendo. Abb. in cit. c. 1. n. 7. h. t. Vel etiam libellus à Judice, vel auctore potest offerri reo, juxta Auth. Offeratur. C. de lit. contest. ubi dicitur: Offeratur ei, qui vocatur ad Iudicium, libellus: originali, vel saltem copia libelli remanente penes Judicem, ne possit in illo à reo aliquid mutari. Abb. c. l. Durand. in spec. l. 4. part. 1. tit. de concept. libell. §. Restat. Vel denique potest, unâ cum citatione, transmitti reo libellus, ejusque tenor citationi inferri. Abb. c. l. non tamen copia libelli à Judice necessariò transmitti debet, unâ cum citatione, vel illius tenor: tum quia tunc reus non potest ampliùs petere dilationem ad deliberandum super libello: tum quia per traditionem libelli reo factam inducitur litis pendentia; ut ex eo tempore circa rem petitam nihil sit innovandum. Gl. fin. in Clem. 2. ut lite pendet. & c. Felin. in c. 1. n. 2. & 3. h. t. Gail lib. 1. obs. §. 1. n. 2. & seqq. Est autem libellus tradendus reo expensis ipsius actoris, juxta Gl. in Clement. 2. V. Oblatos de appellat. nisi aliud consuetudine sit receptum; ut expensis rei id fiat. Abb. in cit. c. 1. n. ult. & in c. 2. n. 3. eod.

IV. Assertio 2. Duplex est libellus, secundum Gl. communiter receptam in c. 1. V. Libellum. h. t. Unus conventionalis, seu postulationis, qui in causis civilibus offertur, dum rem nostram ratione domini, vel quasi, vel alterius juris realis, aut quam nobis deberi ex personali obligatione, asserimus, in Iudicio petimus; de quo agitur in Auth. Offeratur. C. de lit. contest. & c. 3. h. t. Alter accusationis, seu querimonialis, qui in causis criminalibus porrigitur; de quo in l. Libellorum; §. ff. de accusat. in quo scilicet aliquis apud Judicem alicujus criminis reus defertur. Lancelot. Institut. Jur. Can. l. 3. de libell. concept. §. Porro. Quomodo autem hæc duæ libellorum species inter se differant, constabit ex dicendis §. seq.

V. Assertio 3. Quamvis olim, & jure civili antiquo, non erat regulariter libellus in causis civilibus necessarius; ut colligitur ex l. 1. §. 1. ff. de edend. hodierno tamen Iure in Iudicio ordinario libellus necessariò ab Actore offerendus est; sive coram ordinario, sive delegato Iudice, sive coram arbitro agatur; & sive civiliter, sive criminaliter, ita, ut libelli oblatio requiratur ad substantiam ordinis judicialis, nec sine illa Iudicium subsistat; ut docet Gl. in cit. c. 1. V. Libellum. h. t. & ibid. Abb. n. 10. Gl. in c. 2. V. Libello de lit. cont. in 6. Idque colligitur tum ex cit. c. 1. ex verbo, Oportet, quod necessitatem importat, & non tantum honestatem, & Concilium sibi noluit Clericos, vel Monachos illos admittere ad agendum, nisi priùs libellum scriptum offerrent: tum ex Auth. Offeratur. C. de litis contest. ubi in fine dicitur, quòd litis contestatio contra hoc indultu habita pro nihilo est: ergo, sicut litis contestatio est de substantia ordinis judicialis, ita etiam oblatio libelli, quæ est principium, & fundamentum causæ, de qua etiam ibi in principio fit mentio. Gl. in cit. c. 1. in fin. Quare non potest, consensu partium litigantium, sive expresso, sive tacito remitti, ne libellus in Iudicio offeratur: quia hæc solemnitas introducta est, non tantum in favorem partium, sed etiam Judicis, & quidem publicum, ut lites clariùs procedant, vel omnino sopiantur: quia actione ex libello cognita fortè reus liti cedit: solemnitates autem actuum, quæ ob publicam auctoritatem intro-

ductæ sunt, partium consensu tolli, aut remitti non possunt, l. Ius publicum; §. ff. de pact. l. Nemo potest; §. ff. de legat. 1. Bart. in cit. Auth. Offeratur; n. 13. & Abb. in cit. c. 1. n. 10. & 11. Quòd si tamen partes compromittant in Iudicem tanquam in arbitrum, tum remittere possunt solemnitates jure positivo requisitas ad modum procedendi in Iudicio, ut scilicet sine libelli oblatione, & litis contestatione, alisque similibus solemnitatibus procedat, perinde, ac si in alium quemvis compromittant; quia arbitri totam potestatem cognoscendi accipit à partibus. Bart. c. l. n. ult. & Abb. n. 11. & patet ex supra dictis. l. 1. tit. 43.

VI. Atque hæc quidem procedunt in Iudicio ordinario, & solemniter: nam in Iudicio summario, & causis brevioribus, in quibus de plano, & sine figura, seu strepitu Iudicij proceditur, etiam de Iure communi, non est necessarium offerre libellum in scripto, sed sufficit actoris petitionem coram Iudice nudis verbis proponi, eamque à Notario, vel alio actis inferri, seu in scriptum referri, ut re postea exigente, eius copia haberi possit, juxta Clement. Saepè; 2. §. Verum de V. S. Bart. c. l. n. 1. Durand. cit. tit. §. Nunc dicendum. Abb. in cit. c. 1. n. 17. Præterea in causis vilibus, & levioribus, quæ sunt modicæ summæ, vel vilium personarum, ut inter Rusticos, & pauperes, non est necessarius libellus in scriptis. Durand. c. l. §. In quibus casibus libellus offertur. n. 3. Sed neque in notorijs necessarius est libellus. Lanfranc. in praxi: c. §. de petit. n. 22. Saltem quando in ijs ex officio proceditur. Durand. c. l. num. 10. apud quem plura de hoc videri possunt.

Denique in multis locis consuetudine receptum est, ut etiam in Iudicio ordinario libellus in scriptis non offeratur, sed tam Actor, quam reus, coram Notario proferant suas petitiones: consuetudo enim fori derogat juri scripto circa Iudicia. l. 3. §. fin. ff. de testib. Abb. in cit. c. n. 16. Schneidervv. in cit. §. Omnium; n. 99. Addit tamen Abbas, non valere consuetudinem, ut non fiat aliqualis petitio, saltem apud acta, super qua Iudex formet sententiam; quia illa esset irrationabilis.

§. II.

Quomodo formandus sit libellus, sive quæ in eo contineri debeant?

VII. Præmittendum primò. Libellus conventionalis, qui est quasi syllogismus quidam practicus, & judicialis, seu juridicus, tres continere debet partes: causam petendi, seu medium concludendi ex jure desumptum, quæ est loco majoris propositionis: narrationem facti, quæ est loco minoris, in qua subsumitur, in proposita specie facti eam justam petitionis causam reperiri: & conclusionem, seu petitionem, quæ necessariò sequitur ex medio concludendi, & narratione facti, sicut conclusio ex præmissis; ut bene explicat VVesemb. in paratit. ff. de edendo. n. 3. Quod autem dictum est in omni libello, syllogismus contineri, id intelligendum est, non quòd semper formaliter, & explicitè in eo continetur: nam Oratores, & Causidici non solent syllogismos exactè redigere in formam à Dialecticis præscriptam, sed ita proponere,

us, & facti species, & medium, seu argumentum petendi inde assumptum appareat ad aptè concludendum. Quin imò, sicut in syllogismo Dialectico una propositio interdum subicitur, quippe virtualiter contenta, & tacitè subintelligitur in Enthymemate: ita etiam quandoque peto, eum condemnari ad restituendum tantundem, hic deficit medium petendi, ex quo resultat actio, scilicet obligatio, & tamen tacitè subintelligitur; ut notat *Barr. in l. Si priusquam*; 15. n. 13. ff. de novi oper. nunciat.

VIII. Præmittendum secundò. Causam agendi, seu petendi, quæ in libello exprimenda est, alià remotam esse, aliàm propinquam, sive proximam. Causa proxima in actione reali est dominium, ut in rei vindicatione; vel quasi dominium, ut in actione publiciana; vel jus in re, ut in Confessoria. Causa remota est factum, sive titulus, ex quo causatur, & acquiritur dominium, vel quasi dominium, vel aliud jus in re, v. g. quòd res mihi sit legata, donata, vendita, & tradita; item hypothecata, in ea servitus constituta &c. In actione autem personali causa remota est contractus, vel quasi contractus, delictum, vel quasi delictum: causa proxima verò est jus inde competens, & obligatio ei correspondens: nam ex contractu, vel delicto, aut quasi contractu, vel quasi delicto oritur obligatio; ex hac autem actio, seu petitio judicialis descendit. Jam ergo, licet in libello conventionali non sit necesse, præsertim Iure Canonico, ut nomen actionis exprimat, si factum & jus Actoris, seu causa petendi ex oblato libello appareat; ut constat ex *Dilecti*; 6. *supr. de judic.* ubi habetur, quòd Judices non debeant subtiliter inquirere, cupulmodi actio intenteur, sed simpliciter, ac purè ipsam factum, & rei veritatem, secundum Canones, investigare, quia ex medio concludendi, seu causa petendi qualitas intenteat actionis sufficienter colligitur; ut ex c. 3. *de dilation.* docet *Gail lib. 1. obs. 61. n. 9.* Necesse tamen est, ut medium concludendi, seu causa petendi semper in libello exprimat; ut docet *Gl. in cit. c. Dilecti*; 7. *Actio intenteur*; & dictum *suprà* tit. 1. n. 119. His prætermisissis,

IX. Queritur primò. Quanam causa petendi exprimenda sit in actione reali? Resp. In libello actionis realis, seu rei vindicationis, sufficit exprimere causam proximam, videlicet, se Dominum, vel quasi Dominum rei esse; nec opus est, ut causa remota, seu titulus exprimat, quo dominium, vel quasi acquiritum fuit: nam expressà causà proximà, v. g. peto rem, quæ mea est, jure dominij, vel quasi dominij, sufficienter instruitur reus, num liti cedere, an retro contendere velit; cum duo non possint simul in solidum habere dominium ejusdem rei. *l. Si ut certis*; 5. *de duobus*. ff. *Commodati. l. Pomponius*; 40. §. *Sed & ff. de procurat.* Neque idem sapius possit esse Dominus, sive pluribus ex causis obtinere dominium rei. *l. Possideri*; 3. §. *Si ex pluribus*. ff. *de acquir. poss.* *l. Non ut*; 159. ff. *de R. I. Abb. in c. Dilecti*; 6. n. 14. *de judic.* & in c. 2. n. 12. & 13. *h. t. Gail cit. obs. 61. n. 7. & 8.* & actio in rem, seu rei vindicatio semper uniformis est, ejusdemque naturæ, sive Actor domi-

nium obtinuerit jure gentium, sive civili; sive titulo oneroso, sive lucrativo; sive ex contractu bonæ fidei, sive stricti juris: Unde Rei conventi non interest ab initio scire, ex qua causà Actor sit Dominus; ut notat *Schneidevv. in cit. §. Omnium*; n. 116. Imò verò magis expedit reo, ut titulus dominij, vel quasi in libello specificè non exprimat: quia tunc actor omne jus suum in Judicium deduxisse censetur, cum res non nisi semel nostra esse possit; ideòque, si succumbat, postea ei exceptio rei judicatae obstabit, quò minus denuo agere possit. *l. Et an eadem*; 14. §. *Actiones*. ff. *de except. rei judic.* Sin verò Actor certum dominij acquiriti titulum in libello expressit, v. g. *Peto, ut mihi equus meus restituatur, quem ante hac per emptionem acquisivi; ac postea intelligat ex alio titulo, v. g. hereditatis, vel legati ad ipsum pervenisse; poterit, non obstante exceptione rei judicatae, eandem rem ex alia causà, seu titulo petere.* c. 3. *de sentent. & re judic. in 6. l. Si mater*; 11. §. *Denique*. & §. *Si quis autem*. ff. *de except. rei judic. Gl. in c. 2. V. Significantibus. h. t. Abb. ibid. n. 13. & in cit. c. Dilecti*; n. 14. Porro, quòd dictum est, in actione reali causam remotam necessariò exprimendam non esse, sed satis esse, si propinqua exprimat; Quia sum Dominus, vel quasi; id limitari debet, nisi jus commune resultat actoris; ut si quis liberum hominem vindicat, qui est in ejus potestate; tunc enim debet exprimere causam; ut, quia filius est, vel uxor. *l. 1. §. Per hanc*. ff. *de rei vindic. Abb. in cit. c. 2. n. 13.*

X. Ubi præterea Notandum primò. Cùm agitur actione in rem, seu reali, non sufficit rem generalitèr petere; sed debet res in petitione, seu libello specificè designari, ut appareat, quidnam petatur, & exprimi, an tota res petatur, an ejus pars, & quòta; sicut habetur in *l. In rem. 6. in princ. ff. de rei vindic. & sumitur ex c. Significantibus*; 2. *h. t.* Vbi actor causà cecidit, quia actione reali quandam terram, seu fundum petijt ab adversarijs, qui plures terras, seu fundos possidebant, non designando, quem peteret. Nam cùm duo germani fratres à quodam nomine Vdalrico actione reali super quadam terrà, aut fundo, vi rescripti Apostolici, coram Iudicibus delegatis convenirent, oblato eis libello, ipsi fratres conventi petierunt à Iudicibus, ut Actor terram illam, super qua vertebatur quæstio, designaret; quandoquidem ipsi plures terras, seu fundos obtinerent: quòd cùm Judices facere recusarent, illi ad Papam Innocentium III. appellarunt. Qui mandavit, ut, si res ita se habeat, omnia, quæ post appellationem attentata sunt, in irritum revocentur. Ratiò decisionis est, quia nomen rei generale est. *l. 1. in fine. ff. de reb. credit.* & generalitas parit obscuritatem, nec Iudex debet ferre sententiam super incerto. §. *Curare Insti. de action.* Ideo petitio rei in libello debet esse clara, & specifica, ut juxta illam Judex possit formare sententiam; non autem æquivoca, & generalis, ut dictum *suprà* §. 1. *Alioquin reus respondere non tenetur ad libellum. Abb. in cit. c. 2. n. 4.*

XI. Notandum secundò. Si de quantitate rei agatur, numerus, mensura, & pondus exprimi debent. *cit. l. Si in rem. ff. de rei vindic.* ut videlicet reus conventus sciat, super quo controversia futura sit, si contendere velit, & Judex, super quo sententiam fer-

re debeat. Si verò fundus petatur, nomen ipsius, si quod habet, & in quo loco situs sit, exprimi. *cit. l. Si in rem, in fine.* ac per duos vicinos, seu proximos fundos designari debet. *Arg. l. Si forma; 4. ff. de censib. Gl. in cit. c. 2. P. Significantibus; h. n.*

Quod tamen limitandum est primò. Si res, quæ petitur, certa sit, & de illa constet: tum enim subsistit libellus, sine ejusmodi demonstrationibus; ut si v. g. reus conventus unicum fundum habeat, qui petitur; nam quando res nota est, non est opus demonstratione; quia tunc illa superflua foret. *Abb. in cit. c. 2. n. 10. h. t. & Felin. ibid. n. 1.*

Secundò. Et si in libello exprimendum sit, an tota res petatur, an verò pars. *cit. l. Si in rem in princ.* id tamen solum procedit, si actor intendat petere partem tantum; debet enim tunc exprimere, quantum, si ve quotam partem petat: si verò rem simpliciter petat, censetur petere totam: adeoque non potest tunc impugnari libellus, ratione incertitudinis. *Gl. in cit. l. Si in rem. V. Totam. Abb. in cit. c. 2. n. 9. h. t.* Idque colligitur ex eodem c. in quo petebatur simpliciter terra, seu fundus ab actore; Rei verò conventi solum postulârunt, ut terra illa, seu fundus declararetur, seu designaretur; non autem, ut exprimeretur, num tota res, an solum pars peteretur.

Tertiò. Quando res principalis designata est in libello, tum concomitanter, seu incidenter peti possunt etiam ea, quæ sunt accessoria, & facilè designari non possunt; ut docet *Bart. in l. 1. ff. de edend. n. 10. v. g.* peto mihi restitui domum, cum rebus, quæ in ea posita erant tempore ejectionis: vel peto restitui feudum, unâ cum fructibus inde perceptis, & percipiendis: quia sic reus sufficienter fit certus, ut deliberare possit, utrû n. cedere liti, an contendere velit.

Quartò. Libellus conventionalis, quamvis generaliter, & obscure conceptus subsistit, si à Judice receptus sit, nec pars adversa se opponat, atque postea ex actis, & probationibus appareat, quidnam, & ex qua causa petatur. *Felin. in cit. c. 2. n. 3.*

XII. Quæritur secundò. Quæ causa petendi exprimenda sit in actione personali? Resp. In libello actionis personalis necessariò exprimi debet causa remota petendi, si ve titulus, ex quo nascitur obligatio, seu debetur id, quod petitur, v. g. peto à te centum, quæ mihi debes ex mutuo dato, deposito, vel venditione &c. alioqui enim reus respondere, & litem contestari non tenetur; ut constat ex *c. Dilecti; 3. & ult. h. t.* Nam cum Prior, & Conventus S. Mariæ ad carceres, vi rescripti impetrati à Sede Apostolica, coram Judicibus delegatis, super certa pecuniæ summa Monasterio suo debita, Fratres Ecclesiæ de Hispida convenissent: isti exceperunt, quòd, cum in libello conventionali sibi porrecto non sit expressum, ex qua causa pecunia illa debeatur, ideo ipsi respondere non teneantur. Sed quia Judices delegati hanc exceptionem admittere nonlebant, Rei conventi ad Sedem Apostolicam appellârunt. Quare Papa Gregorius I X. mandavit, ut, si ita res se habeat, prout narratur, quæ post appellationem acta sunt, in irritum revocentur.

XIII. Ubi notandum primò. Quamvis in libello actionis personalis non sit necesse exprimere causam proximam petendi, quæ est obligatio; quia hæc ex causa remota præsumitur: nam, si actor dicat se

Titio vendidisse, & tradidisse equum, præsumitur Titium fuisse, & adhuc esse obligatum ad solvendum pretium, nisi probet se jam solvisse, *juxta l. fin. C. de solutione.* non tamen sufficit exprimere causam proximam: veluti, peto centum, ad quæ mihi es obligatus, quia eadem res ex pluribus causis nobis deberi potest, *cit. l. Sed an eadem; §. Actiones; ff. de except. rei judic.* & quia talis libellus foret nimis generalis, & incertus, eò quòd non concludat certum jus petendi, si ve speciem actionis; cum variæ sint obligationes, & actiones personales, & diversæ naturæ, ac qualitatis; alia enim bonæ fidei, alia stricti juris: ideoque causâ remotâ non expressâ, non potest reus maturè deliberare, num liti cedere, an verò contendere debeat. *Abb. in cit. c. Dilecti; n. 14. de judic. & in c. 2. num. 13. h. t. Gail. cit. obs. 61. num. 5. Schneidew. in cit. §. Omnium; n. 113. & 114.* Quòd si causa remota, seu titulus, ex quo debitor actori, seu creditori obligatus est, sit expressus, v. g. peto, ut Titius compellatur ad tradendum equum, quem ab ipso emi, & postea actor intelligat, equum, non ex emptione, sed ex donatione sibi deberi, aliâ novâ actione cum convenire poterit, videlicet ex causa, seu titulo donationis, *cit. l. Sed an eadem; §. Actiones; & ibi Gl. V. Eodem; Gl. in c. 2. V. Significantibus; h. t.* Idemque similiter dicendum, si quis agat actione hypothecaria in rem, cum eadem res, v. g. fundus, ex pluribus causis alicui hypothecæ nomine obligata esse possit, *Gl. ibid. V. Ex qua.* Quare, si in libello expressâ sit una causa, v. g. venditionis, & probetur postea alia, v. g. donationis, actor succumbet quidem in illa instantia: quia exprimendo unam causam, videtur illam tantum, & non aliam in judicium deduxisse: potest tamen alio instituto Judicio, ex nova causa, præsertim postea emergente, agere, non obstante exceptione rei judicatæ. *c. Abbate; 3. §. Ceterum; de sent. & re judic. in 6. Abb. in cit. c. 3. n. ult. h. t.*

Notandum secundò. Licet in actione personali exprimenda sit remota causa petendi, videlicet titulus, ex quo aliquid debetur; aliàs reus non tenetur respondere, ut dictum: si tamen causa non exprimat, & reus non excipiat, sed respondeat, vel, si exceptio non admittatur à Judice, non appellet, Judicium procedit, & tenet; prout colligitur ex *cit. c. 3. in fine h. t.* ubi Papa mandat inquiri de facta à reo exceptione, & appellatione: si ea non sit admittenda. *Abb. ibid. n. 2. & sumitur ex cit. c. Abbate; §. Sectus; de sent. & re judic. in 6.* Quare quando causa petendi remota non est expressâ ab actore in libello, non est opus petere, ut ea exprimat; sed sufficit, si reus dicat, non teneor respondere, quia causa petendi non est expressâ. *Abb. c. l. n. 3.*

XIV. Quæritur tertiò. Quamnam exprimenda sint in actione, seu Judicio universali, vel generali? Resp. Quando instituitur actio, seu Judicium universale, in quo petitur universitas rerum, vel quidpiam continens in se plures res particulares, non est necesse, ut in libello exprimentur, aut designentur res singulæ; sed sufficit petitio generalis, v. g. peto hereditatem mihi à Titio ex testamento, vel ab intestato relictam; seu judicialiter me heredem declarati, & consequenter possessorem condemnari ad restituendum omnia, quæ ex illa hereditate possidet, vel etiam post litem contestationem cepit possidere, *juxta l. Si hereditatem; 4. & l. Si quo tempore; 41. ff. de pet. hered.*

Item

Item peto mihi restitui Ecclesiam, vel Parochiam, feudum, domum, castrum, unâ cum iuribus, ac pertinentiis illius. *Gl. in cit. c. 2. V. Significantibus; h. t. Abb. ibid. n. 20. & Felin. n. 11. Gail lib. 1. obs. 68.*

Similiter in iudicio generali, videlicet tutelæ, negotiorum gestorum, pro socio, & similibus, non est necesse, ut res singulæ specificentur; sed sufficit, si factum, & causa actionis generatim proponatur. v. g. peto, ut Titius tutor meus rationem administrationis sue reddat, & quod reliquum est, restituat; nec requiritur, ut aliqua res singulares in libello exprimentur. *Gl. in cit. c. 2. V. Significantibus. Bart. in l. 1. num. 9. ff. de edend.*

Porro hoc est discrimen inter iudicium universale, & generale, quod in universali, ut in petitione hereditatis, neque in libello, neque in processu causæ, neque in ipsa sententia necessarium sit res exprimi, aut specificari: in generali verò iudicio administrationis tutelæ, aut negotiorum gestorum, quamvis libellus generalis admittatur: tamen post litis contestationem, saltem antequam sententia feratur, res specificari, & species obligationum, seu debitorum exprimi debent. *l. Licet; 2. C. de iudic. Bart. c. l. Abb. in cit. c. 2. n. 20. h. t. Gail cit. obs. 68. n. 8.* Rationem diversitatis inter iudicium universale, & generale tradit *Bart. c. l. & ex eo Abb. in cit. c. 2. n. 22.* quia in iudicio universali sententia solum fertur ad declarandum jus actionis, quod videlicet hereditas, parochia, feudum, vel castrum ad ipsum pertineat: restitutio verò rerum fit officio Iudicis; & ideo in hoc iudicio non est necesse, nisi, ut declaratur, actorem esse heredem, parochum, vasallum, dominum castri &c. & postea fit executio officio Iudicis: At verò iudicium generale tendit ad condemnandum reum; & ideo in progressu causæ debent res specificari, & probari, ut sciat Iudex, ad quam condemnare debeat reum conventum; juxta *cit. l. C. de iudic.* quamquam etiam in iudicio universali, seu generaliter in libello deducta, tempore executionis, exprimi, & liquidari debent; quia super rebus dubiis, & incertis executio certa fieri non potest. *Gail. c. l. n. 5. & 6.*

XV. Quæritur quartò. Quamnam præterea exprimenda sunt in libello? Resp. ea, quæ comprehenduntur in hoc versu: Quis, quid, coram quo, quo iure petatur, & à quo: Rectè compositus quisque libellus habet. *Gl. in c. 1. h. t. & Hostiens. in summa eod. n. 1.* Quis requirit nomen actoris, ut de eo constet, quid causam, & narrationem facti continet. Coram quo iudicem denotat: primò enim omnium libellus continere debet nomen Iudicis, ut constet, an is sit competens, necne: non tamen est necesse, ut Iudicis nomen proprium exprimat in libello; sed sufficit, si Iudex à suo officio, & jurisdictione appelletur, si inde reo de eius persona possit constare. Per particulam quo iure denotatur causa, ex qua, vel in qua actor intentionem suam fundare velit, quæ omnino exprimenda est, *c. fin. h. t.* Denique particula à quo denotat, nomen adversarij, seu Rei conventi quoque exprimendum esse.

XVI. Quæritur quintò. Quæ exprimi, vel contineri debeant in libello accusationis, seu criminis? Resp. in illo non requiritur conclusio, seu petitio, sed sufficit sola narratio facti, ut videlicet cri-

men v. g. homicidij narretur, adjunctis circumstantiis personæ, loci, temporis &c. *Felin. in c. unic. n. 10. de litis contest. Gail. l. 1. obs. 61. n. 18.* Ratio est, quia in criminalibus nihil petitur, aut concluditur dari, vel fieri parti: sed postquam cognitum, & probatum est crimen, Iudex ex officio cogitur pœnam infligere, sive à lege definitam, eamque, vel corporalem, vel pecuniariam applicandam fisco; sive arbitriam, quæ ipsius Iudicis arbitrio committitur, si lege definita non sit. Verùm, si pœna applicanda sit actori, seu parti læsæ, aut partim fisco, partim parti læsæ, tum ea in libello petenda est; ut Iudex ad illam reum condemnent. *Gail. c. l. n. 19.* & quidem absolute, ut pœna pecuniaria decernatur dividenda inter fiscum, & actorem: non tamen pœna in libello accessorie petenda est, si ea ipso iure sit incurta, seu inflicta, ita, ut solum sententia declaratoria criminis requiratur. De quo plura infra *lib. 5. tit. 1.*

S. III.

De mutatione, & emendatione Libelli, eiusque effectu?

XVII. Præmittendum est, discrimen esse inter mutari, & emendari libellum; ut notat *Abb. in c. 2. n. 24. h. t.* Nam mutatur libellus, quando actio in eo proposita, vel causa petendi in eo expressa mutatur, & alia proponitur, vel à re petita receditur, & alia petitur: adeoque, cum mutatur in libello aliquid pertinens ad ejus substantiam, ob quod, parte etiam non opponente, vitatur libellus. *Hiltrop. in process. iudic. p. 2. tit. 9. de emendat. libell. n. 14. & 15.* Exemplum mutationis est, si actor in libello actionis realis dixit, se Dominum esse rei petita; postea verò videns, difficile esse probare Dominium, mutans libellum dicat, sibi Dominium, vel quasi competere, juxta *c. Abbate; 3. de sent. & re iudic. in 6.* quia scilicet tunc sufficit, si actor probet, se fuisse bonæ fidei possessorem; licet is, à quo rem accepit, fortè Dominus non fuerit, neque ipse præscriptionem rei compleverit; ubi mutatur actio, seu causa petendi. Emendatur verò, sive corrigitur libellus, quando vitium aliquod, vel obscuritas tollitur, vel aliquid additur, aut detrahitur, salvâ manente ipsius libelli substantiâ, ita, ut nec res petita, nec causa petendi mutetur.

XVIII. Assertio 1. Actor porrectum libellum, tam in causis civilibus, quam criminalibus, mutare licet potest, ante litis contestationem. *l. Edita; 3. & ibi Bart. n. 2. C. de edendo. Gail lib. 1. obs. 74. num. 4. Hiltrop. c. l. n. 13.* Ratio est, quia tunc iudicium nondum propriè est ceptum; ideoque ab eo recedere, & pœnitere licet. Requiritur tamen, ut, si qualitas actionis, & causa petendi mutata sit, novæ reo dilationes concedantur, ut deliberare, & instruere se possit pro lite futura; ut notat *Gl. in cit. l. 3. V. Emendari vers. Item, an in nova:* imò etiam ad interesse, & compensationem expensarum tenetur Actor, quas reus majores facere debuit, ob talem mutationem: nisi personæ id condonandum sit, ut, si mulier, miles, rusticus libellum non rectè compositum mutarit. *Gl. in cit. l. 3. V. Perpetui, & ibid. Bald. n. 3.* At verò post litem contestatam, Actor libellum mutare non potest, *Arg. l. Non potest; 23. ff. de iudic. nisi inchoata novâ*

tâ novâ instantiâ, novum libellum offerre velit, cum refusione expensarum, juxta c. *Examinata*; 15. de judic. Ratio est, quia libellus per litis contestationem formatur, & transit in quasi contractum inter partes litigantes, per quem obligatur quis ad id, quod in judicio petendum est, si per sententiam succumbat, per quam iste quasi contractus consumatur. *Gail. cit. obs. 74. n. 6. 7. & 8. ubi n. 9.* addit, quod nec quidem accedente consensu partium, post litis contestationem, libellum mutare concessum sit, eò quod litis contestatio, & alii actus substantiales iudicii partium consensu tolli nequeant.

XIX. Assertio 2. Non tantum libellum declarare, si quid obscurius in eo dictum sit, cum qui declarat, nil de novo dicat. *Arg. l. Heredes; 21. §. Si quid ff. qui testam. fac. poss.* sed etiam emendare, seu corrigere, & accidentaliter mutare, ita, ut causa status non immutetur, licitum est etiam post litis contestationem, usque ad sententiam, id est, conclusionem in causa. *Arg. cit. §. Si quid, Bart. in cit. l. 3. num. 5. C. de edend. & gloss. ipsius lit. A. Mynsing. in §. Si minus; num. 22. & 24. Instit. de action. v. g. si erratum sit in nomine rei petite, aut in loco, vel tempore obligationis contracte, licitum est, illum errorem corrigere, dummodo idem jus, eademque actionis qualitas permaneat. Item, si actor omisit in libello petere accessoria, videlicet fructus, & expensas, potest saltem iudicis officium implorare, ut ea consequatur. Præterea potest libellus emendari, & mutari, quoad detraktionem, seu diminutionem; ut, si actor petijt centum, potest post litis contestationem, corrigendo libellum, petere 50. vel si totum fundum ad se dixit pertinere, eum postea pro parte tantum petere potest. *Arg. l.**

Quidem; 21. ff. de reb. credit. Abb. in cit. c. 2. n. 24. h. n. Mynsing. c. l. n. 22. Quin imò potest libellus mutari etiam addendo: ut, si actor minus iusto petijt in libello, & postea cognoscat, plus deberi, potest in eodem iudicio, eademque instantiâ, emendare libellum, & summam, si ve rei petite aliquid addere, etiam post litis contestationem, usque ad sententiam; ut ex *cit. §. Si minus; docet Mynsing. ibid. n. 10. 13. & 14.* Quia hoc casu nec actio, nec causa petendi mutatur, nec prima petitio deditur: putat tamen *Abb. c. l.* in praxi contrarium observari, ut litis contestate instantiâ tali casu solvatur, relicta facultate Actoris alium libellum offerendi, & aliud iudicium petendi.

XX. Assertio 3. Effectus libelli oblationis est, quod secundum petitionem in libello factam ferenda est sententia, & quod actor, post libellum per judicem reo porrectum, cogatur litem, seu causam prosequi, & ad finem perducere. *Auth. Qui semel. C. Quom. & quand. Iudex & c. Hostiens. in summa; n. 10. & 13. h. t.* Dummodo rei conventi interit, ut litem; tum enim cogere potest Actorem ad eam causam prosequendam: alioqui verò, si ejus nihil interit, Actor potest litem suam deserere, etiam invito adversario, tam ante, quam post litis contestationem. *l. Postquam; 4. C. de Pact. Lanfranc. in praxi. c. 5. n. 21. §. Potest tamen. in cit. autem Auth. Qui semel, semel est de Actore, quod si se absentet, ita, ut personaliter conveniri nequeat, per tria edicta citari, & in contumacia constitui possit; ut patet ex ipso textu. Plures effectus libelli adfert *Hostiens. in summa. num. 13. h. t. Durand. in spec. cit. tit. de libellor. concepr. §. Nunc dicendum est, de effectu libelli.**

T I T V L V S I V.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

Libello actoris iudici, & per hunc reo oblato, solet interdum reus conventus vicissim aliquid ab actore petere, cumque oblato libello reconvenire; præsertim, quando compensationi non est locus, ut, quia debitum ex utraque parte non est liquidum, sed ex una tantum parte: vel, si neque per confessionem Rei sit liquidatum: vel, si ex una parte debeatur species, ex altera quantitas; ut notat Marant. de ord. iudic. p. 4. dif. 6. in princ. n. 2. & 3. In his ergo, & similibus casibus, in quibus locum non habet compensatio, reus recurrere debet ad mutuam petitionem, seu reconventionem; de qua in hoc Titulo post libelli oblationem agitur.